

QUAESTIUNCULAE HORATIANAE

SCRIPSIT

J. BERGMAN

DORPATI MDCCCXXI

Typis expressit C. Mattiesen, Dorpat MDCCCCXXI

I.

De antiquae Horatii recensiois memoria in codicibus saec. VI et VII Prudentianis servata.

Constat inter omnes, codicum Horatianorum permagnam quidem copiam exstare, nullos tamen in tanto numero certam et indubitata memoriae antiquissimae atque sincerae fidem prae se ferre.

Ne nomen quidem Vetti Agori Basili Mavorti, illustrissimi illius veterum poetarum editoris, qui summo magistratu anno DXXVII post Christum natum in urbe functus est, in quibusdam codicibus¹⁾ subscriptum, veram recensiois Mavortianae memoriam in his codicibus retineri testimonio indubitato testatur. Nam etiam horum librorum lectiones variae sunt neque inter se constantes, interpolationum et arbitrii librariorum medii, quod vocatur, aevi apertissima indicia praebentes.

Scholorum quoque antiquorum reliquias, non solum eorum, quae sub Acronis nomine circumferuntur, sed etiam illorum, quae Porphyrio auctoritate fulciri possunt, minoris momenti esse ad liquidum perductum est. „Quantilli existimanda sit Porphyrio in recensendis vel explicandis verbis poetae auctoritas, ipse in vitis scholiis ineptis nimis saepe demonstrat“. Haec verba sunt novissimi carminum Horatianorum editoris critici, Friderici Vollmeri²⁾, qui post renovatas et religiosissimas in his rebus investigandis curas, monendum censet, ut certa testimonia *extra codices Horatianos servata* diligenter observentur, qualia et ipse in commentario suo addidit, neve neglegatur „quid διασφάδην ab antiquis Horatio tributum sit, quid minus diligenter relatum“.

1) Scilicet in tribus Parisinis (7972 s. IX, 7900 s. X, 8265 s. XII), in Leidensi 28 s. X, in Reginensi-Oxoniensi P 2 s. X, in Taurinensi L. VI. 2 s. XI, in Bruxellensi 9776—9778 s. XI, in Gothano B 61 s. XV.

2) Q. Horatii Flacci Carmina rec. Fr. Vollmer, ed. maior iterata et correctata, Lipsiae 1917.

Iure haec monuit. Inter eiusmodi subsidia critica numeranda sunt etiam quae a sequentibus poetis et aliis scriptoribus Horatio deprompta sunt vel ad similitudinem eius accommodata. Magnus est in posterioribus antiquitatis saeculis scriptorum numerus, qui Horatium imitati sunt vel ἀποφθέγματα ex libris eius excerpta in usum suum verterunt. Quam rem non est cur longius persequar, cum notissima sit. Sed inter poetas Romanos posteriores, quos Horatium diligenter evolvisse et in usum suum vertisse apparet, unus omnium ceteris praestare videtur Aurelius Prudentius Clemens. Quanta apud hunc principem christianae antiquitatis poetam copia sit phrasium et sententiarum Horatianarum, iamdiu observatur. Manifestum est Prudentium exemplaria praeiorum poetarum Romanorum nocturna versasse manu, versasse diurna, quippe qui fuerit — ut cum Gennadio loquar¹⁾ — ‚saeculari litteratura eruditus‘. Quo factum est, ut apud eum multorum poetarum veterum memoria servata sit. Ac praesertim vestigia Vergili et Horati pressisse invenitur, quamquam etiam Lucretio, Tibullo, Propertio, Ovidio, Lucano, Senecae, Statio, Iuvenali, Martiali familiarem eum fuisse apparet, ne de Claudiano, eiusdem aetatis poeta, cuius carmina paucis annis ante Prudentianos libros edita sunt, dicam.

De imitationibus eius Horatianis iam ante triginta quattuor annos fusius egit vir doctus Germanus, Hermannus Breidt²⁾. Sed omnes eiusmodi investigationes olim factae incertis aliquatenus fundamentis fulciebantur, quia nondum de vero et sincero Prudenti textu constabat. Nemo enim totam codicum Prudentianorum molem ingentissimam perscrutatus viam et rationem per labyrinthum eorum monstrare potuerat. Qui novissimam carminum Prudentianorum editionem criticam edendam curavit, Albertus Dressel³⁾, paulo plures quam septuaginta codices atque maiorem eorum partem tantum nomine et fama cognoverat; ipse nullos nisi Vaticanos et paucos in Germania servatos contulerat vel potius fortasse — quod ad Vaticanos attinet — ex collationibus Arevali notos adhibuerat. Re vera autem tantus est codicum Prudentianorum numerus, ut plus quam tres compleant centurias. Neque id solum curis Dresselii defuit, quod

1) De viris illustribus XIII.

2) H. Breidt, De Aurelio Prudentio Clemente Horatii imitatore. Heidelbergae 1887.

3) Aurelii Prudentii Clementis Carmina rec. A. Dressel. Lipsiae 1860.

maiores codicum partes non pervestigaverat, sed ne optimas quidem membranas in examen vocaverat; auctoritate Faustini Arevali confisus textum suum codice Vaticano Reginensi 321 (saec. X) pro fundamento usus constituit, neglectis duobus, qui et optimam et antiquissimam memoriam servabant, Parisino scilicet 8084 et Ambrosiano (Mediolanensi) D 36 sup.

Postquam consilio et auctoritate Academiae Vindobonensis nova codicum omnium investigatione atque censura instituta¹⁾ de generibus et fide eorum iudicare potui, textum puriorem et ab interpolationum labe liberatum mox praesto habebimus in editione critica, Vindobonae edenda, quam, ante aliquot annos iam prelo paratam, propter res adversas belli causa ortas, nondum nobis licuit typis mandare.

Dum tempora libris maioribus imprimendis meliora exspectamus, occasionem nobis benigne praebitam ab amplissimis illis viris, qui Acta et commentationes Universitatis litterarum Dorpatensis edendas curant, grato animo adripuimus, ut saltem minores quosdam horum studiorum fructus in lucem proferremus. Et quoniam hoc anno publicas de Horati operibus lectiones habemus, pauca de locis quibusdam Horatianis auxilio codicum Prudenti antiquissimorum illustratis proferre in animo est.

Exstat in bibliotheca nationali, quae vocatur, Parisina, numero 8084 inter codices latinos signatus, vulgo Puteaneus appellatus, codex membranaceus, pro decore et ornamento insigni bibliothecae illius illustrissimae semper habitus, saeculo sexto exaratus, Aurelii Prudentii Clementis carmina continens. In hoc codice post finem illius hymnorum libri, qui Cathemerinon vocatur, nomen legitur Vetti Agori Basili. Vetustate fere deletae sunt quaedam litterarum formae, ita ut hodie nihil clare legi possit, nisi — TIUS AGORIUS — SILIUS. Sed hoc sine dubio sufficit. Vettium Agorium Basilium illum Mavortium, qui et Horati carmina recensuit, significari nemo non videt. Non desunt, qui nomen illud genuinum et manu ipsius propria exaratum putent²⁾.

Ac primum dispiciamus, qualis haec subscriptio sit. Aliae subscriptiones, quotquot in codicibus exstant, omnes — quantum scio — non solum nomen aliquod sed et alia complura continent.

1) Cf. commentationem nostram, quae inscribitur De codicum Prudentianorum generibus et virtute (Sitzungsber. d. Akad. d. Wissenschaften, Wien 1908).

2) Cf. E. O. Winstedt, Mavortius and Prudentius (The Classical Quarterly 1906, p. 10—12).

Brevissima quaeque vel ante vel post nomen subscribentis saltem *legi, emendavi, legi et emendavi, recensui* vel tale quid exhibent, velut: *emendavi Torquatus Gennadius* (Cod. Martialis Florent. Medic. pl. XXXV 38);

ego Crispus Salustius emendavi Romae felix (Cod. Apulei Florent. Medic. pl. LXVIII 2);

feliciter emendavi discriptum Rabennae Rusticius Helpidius domnulus VC (Cod. Iul. Par. excerpt. Valer. Max. Vat. 4229).

Calliopius recensui (Cod. Terenti Vat. 3886).

In compluribus codicibus commentarios Caesaris de bello Gallico continentibus post finem unius cuiusque libri haec servata est subscriptio:

Iulius Celsus Constantinus v. c. legi.

Subscriptio illa Mavortiana in quibusdam Horati codicibus servata hoc modo se habet:

Vettius Agorius Basilius Mavortius v. c. et inl. ex com. dom. ex cons. ord. legi et ut potui emendavi conferente mihi magistro Felice oratore urbis Romae.

In Prudenti codice Parisino lat. 8084 post finem hymnorum Cathemerinon paulo infra mediam paginam nihil nisi nomen, quod supra diximus, legitur, eadem, ut videtur, manu exaratum, quae notas quasdam metra indicantes in margine hymnorum addidit, sine dubio antiqua manu non multo post ipsum codicis scribam primarium scribente (si non eiusdem ipsius est: atramentum idem fere videtur). Unde Winstedtius collegit nomen esse genuinum a Vettio ut libri possessore inscriptum, non ad recensionem indicandam. Sed licet exemplar primarium non sit; certe non longo temporis spatio ab eo remotum esse potest; codex enim eiusdem fere aetatis est et, apographum si est, sine dubio textus Mavortiani memoriam satis accurate repetitam servat.

Inter codices Horatianos vix unum reperias, qui saeculum nonum excedat. Hic autem trecentis annis ante exaratus est, in ipsa Mavorti aetate.

Alia est quaestio, qualis memoria Horatiana in hoc codice occurrat, utrum ad recensionem Mavortianam adaptata, an fortasse antiquior.

Antiquiorem crediderim. Nam licet Mavortius ipse codicem antiquissimum Prudenti suis manibus evolverit et correxerit, vix ausus esse mihi videtur ipsius Prudenti textum secundum suam recensionem Horatianam emendare, si quid a Prudentio

ex Horatio depromptum invenerat. Veri similis videtur Mavortium in emendando Horatio Prudenti verba Horatio desumpta secutum esse, quia Prudentius antiquiorem certe et fortasse meliorem Horatii editionem habere potuit quam Mavortius ipse. Ut hoc est, antiquitatis auctoritatem vel maximam habent, quæ in hoc codice Horatiana occurrunt, qui, quod antiquior testis omnino deest, religiose respiciendus est. Signo A hunc codicem signavi.

Sed etiam alius Prudenti codex antiquus non sine fructu ad rem criticam Horatianam adhiberi poterit, Ambrosianus scilicet, quem supra nominavimus, sæc. VII, (in monasterio Bobiensi, ut videtur, exaratus), quippe qui et ipse bonæ indolis sit et longe codicum Horatianorum ætatem superet. Adde, quod lacunas in Parisino occurrentes, quia mutilus hic est, aliqua ex parte potest explere Ambrosianus, quamquam et ipse mutilus. Denique non eadem familia oriundus est, quam ob rem, ubi eadem verba præbet, veritatem memoriæ confirmat. Quoniam familia illa, cuius principem locum tenet Ambrosianus, corruptelas quasdam et interpolationes paucas, rationibus dogmaticis ortas præbet, non eiusdem fidei atque auctoritatis est in Prudentio emendando quam Parisinus, sed hoc vitium ad eos locos, qui Horatio deprompti sunt, non pertinet, quorum certa videtur fuisse memoria. Hunc codicem littera B signavi.

Transeo ad locos quosdam referendos. Sed quoniam non pauci sunt, qui Horatio desumpti sunt vel imitationem eius redolent, non omnes adferam, tales solum, ubi vel differant codicum lectiones vel doctorum de veris poetæ verbis sententiæ. Ac ne nimius fiam, ne hos quidem omnes, neque eruditorum excogitata et dubitationes in examen vocabo sed magis exempli causa pauca proferam, ad editionem Prudentianam futuram, quod ad cetera pertinet, delegans.

Hor. Carm. I 3, 19:

qui uidit mare turgidum

Altera Vollmeri classis codicum Horatianorum, (II), *turgidum* exhibet, quod etiam scholiis confirmatur, sed classis prima, signo (I) signata, cum notis ex Blandinio vetustissimo, qui vocatur, a Cruquo excerptis conspirans, *turbidum* habet. Conferre licet

Prud. Perist. V 475:

quæ turgidum quondam mare
gradiente Christo straueras

Nulla in codicibus primariis dissensio est: omnes turgidum exhibent. Deficit hoc loco codex A, sed B antiquitate et ipse nobilis (saec. VII), cum ceteris omnibus conspirans et cum tota reliqua familia codicis A, hoc loco deficientis (quippe qui mutilatus sit), eandem lectionem, *turgidum* scilicet, habet.

Hor. Carm. I 4, 16:

iam te premet nox fabulaeque manes.

Hoc loco de sensu agitur, non de consentiente codicum Horatianorum memoria. Quaeritur, utrum *fabulae* pro genetivo sing., an pro nominativo plur. acceptum sit, quod confirmari videtur carmine quodam epigraphico (Carm. epigr. 1504, 10 saec. II), ubi *fabulas manes* exstat.

Sed Prudentius fortasse *fabulae* pro genetivo accepit; conteras quaeso

Prud. Contra Symm. I 190 sq.:

et tot templa deum Romae, quot in orbe sepulcra
heroum numerare licet, quos *fabula manes*
nobilitat, noster populus veneratus adorat.

Libri contra Symmachum in codice Mavorti (A), qui mutilus est, desunt. Sed exstat hic locus in codice Ambrosiano (B), nec de lectione *fabula* exoriri potest dubitatio, ne minima quidem; in omnibus omnium familiarum codicibus una est huius loci scriptura, quae etiam ipso metro commendatur.

Fabula subiecti vice fungitur — fabula igitur, id est fama et confabulatio hominum, manes nobilitat, id est in deorum numerum extollit. Haec mentis conceptio haud longe ab ea abhorret, quae verbis *fabulae manes* inest, si verbum *fabulae* pro genetivo accipimus.

Horat. Carm. I 34, 3—5:

. . . nunc retrorsum
uela dare atque iterare cursus
cogor relectos.

Ita Heinsius et Bentley codicum auctoritate neglecta, qui *relectos* praebent. Conferre nunc licet

Prud. Apoth. 1003:

perque atavos cursum relegente uetustos,

ubi *relegente* non solum in codice A occurrit sed omnium librorum manu scriptorum consensu confirmatur.

Hoc loco contra codices Horatianos sagacissimum Heinsii et Bentlei acumen comprobari videtur.

Horat. Carm. II 14, 1:

Eheu fugaces, Postume, Postume,
labuntur anni

Prud. Cath. XI 5:

Heu quam fugacem gratiam
festina uolebat dies

Ita legitur in A et omnibus codd. Prudentianis. In Horatianis *eheu* praeualet, sed *heu heu* ab Hieronymo traditum est, quamquam aliis locis idem Hieronymus (cf. adnotationes criticas Fr. Vollmeri) lectionem *eheu* cum codicibus conspirans habet. Quamquam nullo modo certum est Prudentium hoc loco ad verbum exprimere voluisse initium illud carminis Horatiani, observanda tamen videtur lectio eius; fieri potest, ut in suo exemplari carminum Horatianorum poeta ille quarti saeculi re vera legerit *Heu, heu fugaces* et quae sequuntur. Horatio ipsi videtur ineunte versu acceptius fuisse *heu, heu* quam *eheu*; conferre licet Carm. I 15, 9: (*heu heu, quantus equis*). I 35, 33 (*heu heu, cicatricum et sceleris pudet*).

Hor. Carm. II 20, 1:

non usitata nec tenui ferar

Prud. Cath. VII 56:

non usitatis ortus hic natalibus

Ita non solum in A, sed in omnibus antiquioribus Prudentianis codd. legitur.

Quamquam ultimam syllabam leviter mutavit poeta christianus, ut ad suum usum adaptaret, non dubium videtur, quin verba Horatiana ante oculos habuerit. Quae verba *non usitata* fuisse apparet, quod lectionem etiam in codicibus Horatianis traditam confirmat, contra Bergkium, qui *visitata* coniecit.

Hor. Carm. III 2, 28—29:

— — fragilemque mecum
solvat phaselon

Prud. Contra Symm. II 530:

institerant tenues cumbae fragilesque faseli
Haec lectio in codd. CD PE¹⁾ exstat et post correcturam in VN.
In codd. MOSU autem et in VN ab initio, ante correcturam:

instar erant tenuis cumbae fragilisque faseli

In duobus antiquissimis codd. A et B, quippe qui mutili
sint, hic locus omnino deest.

Quod ad imitationem Horatianam pertinet, nullius momenti
sunt variae huius loci lectiones, nam haec imitatio nulla re constat
nisi verbis *fragilesque* vel *fragilisque faseli*.

Difficile est eiusmodi imitationes nimium premere. Sed si
credere licet, memoriam loci Horatiani fideliozem esse, Bentleyus
hoc loco destituitur, *fragilemve* pro *fragilemque* ponens.

Horat. Carm. III 23, 9—13:

nam quae nivali pascitur Algidō
deuota quercus inter et ilices
aut crescit Albanis in herbis
victima pontificum securis
ceruice tinguet.

Codicum Horatianorum maior pars *securēs* praebet, excepto
Harleiano 2725 (saec IX) qui *securim* exhibet. Fr. Vollmer iure
securis edit (= *securēs*). Librarius ille, qui *securim* invenit, formam
securis, nisi fallor, prave intelligens pro nominativo habuit.
eamque ob rem, quia accusativus esse deberet, in *securim* correxit.

Memoria quaedam huius loci Prudentio versum Apotheoseos
460 sq. scribenti videtur obversasse (de Iuliano imperatore):

forte litans Hecaten placabat sanguine multo
pontificum festis ferienda securibus illic
agmina vaccarum steterant etc.

Securibus formam pluralem habet, qua lectio *securis* (*securēs*)
apud Horatium confirmari videtur, quamquam concedere
debemus sufficientem pluralis formae causam in iis quae sequuntur
futurum fuisse (agmina vaccarum), etiam si apud Horatium
suum *securim* legisset poeta.

1) Codices a me C (Cantabrigiensis Corp. Chr. 223 s. IX) et D (Dunelmensis Cathedr. B 9. 4 s. X) signati eiusdem familiae sunt atque cod. A; V (Vaticanus Reg. 321 saec. IX—X) et N (Paris. 8305 saec. X) eiusdem atque cod. B, ceteri deteriores sunt.

Hor. Carm. III 27, 59:

pendulum zona bene te secuta e-
lidere collum.

elidere *Lambinus* coniecit, laedere *codices* exhibent (I) (II).

Conferre licet

Prud. Perist. X 1108:

elidit ille fune collum martyris.

Ita consensu codicum communi traditum est (A deficit sed B et tota codicis A familia locum habent), quod scripturam *Lambini* confirmat.

Hor. Epod. XII 25:

o ego non felix, quam tu fugis, ut pauet acris
agna lupos capreaeque leones.

Contra *codices* Horatianos Charis. Gramm. I 158, 6 o ego *infelix* praebet.

Conferre licet

Prud. Perist. V 42:

audesne, non felix, ait
ius hoc deorum et principum
violare?

Ita cod. A et optimus quisque codicum. Deteriores et recentiores *infelix*, quod etiam in paucis melioris notae occurrit sed posteriore — manus secundae — cura insertum. Non dubium est, quin lectio *non felix* genuina et antiquissima fuerit, poetae ipsius verba referens.

Id quoque apparere videtur, etiam apud Horatium *non felix* antiquiorem esse lectionem, quae, ut durior, in faciliorem et usitatiorem, qualis erat *infelix*, mutata sit.

Hor. Sat. II 2, 3:

rusticus abnormis sapiens crassaque Minerva

Sic edit *Fridericus Vollmer*. *Codices* aut *abnormis* aut *abnormi* praebere videntur. *Vollmer* in adnotatione critica editionis suae maioris se praepositionem separavisse dicit. Et iure separavit, ut opinor.

Inexpectatum et primo aspectu vix apertum ei subsidium praebet

Prud. Contra Symm. II 1020:

o felix nimium sapiens et rusticus idem

Sic omnes codices (*def. ABSU*). Vulgo *nimum* cum *felix* coniungitur: *o felix nimum, sapiens* cet. Nisi fallor, melius cum *sapiens* coniungi potest: *o felix, nimum sapiens* cet. Hoc modo si acceperimus, *nimum sapiens* prorsus idem videtur, atque Horatianum illud *ab normis sapiens*. Prudentius in Horati codice suo *ab normis* invenit, quod ab eo, ut subobscurum, mutatum est in verbum clarius et dilucidius, quale est *nimum*.

Hor. De arte poet. 111:

post effert animi motus interprete lingua.

Exstat *animi* in codicibus, *alios* apud Bedam, qui hunc locum repetit.

Prud. Perist. X 770 sq.:

digna est fidelis lingua, quae sit hostia
 interpres animi, enuntiatrice sensuum
 cordis ministra, praeco operi pectoris

Habent *animi* codd. excepto M (familiae deterioris) qui *animae* praebet, sine dubio vocalis *e*, quae sequentis verbi (*enuntiatrice*) initium facit, contaminatione quadam et falsa coniunctione ortum, nam idem codex *nunciatrix* pro *enuntiatrice* habet.

Confirmatur igitur contra Bedam, qui saeculo octavo floruit, antiquior lectio in codicibus Horatianis servata, quae est *animi*.

Horati libros qui sibi recensendos sumpserit, eum difficillimam rem suscepisse nemo negare potest.

Nam non solum grammaticorum principes per omnia eruditionis saecula eum perscrutati suut sed iam ab initio et in ipsa et remotissima antiquitate vexatissimus erat, saepissime exscriptus et multiplicatus in usum scholarum. Usque ad originem puram et genuinam redire nemo poterit.

Ad extrema ventum erit, si eum nobis Horatium reparaverit ars critica, quem legebant homines quarti p. Chr. saeculi.

Quod si novas lectiones minus adfert perscrutatio antiquissimorum Horati vestigiorum, quam corroborat iam receptas, id tamen documento est quarto exeunte et ineunte quinto saeculo fixum et longo usu firmatum fuisse textum Horatianum.

II.

Ad Hor. Carm. III 5, 17.

Fridericus Vollmer in nova carminum Horatianorum editione critica ita edit, coniecturam Düntzeri recipiens:

si non periret iam miserabilis
captiva pubes.

Codices, cum Porphyrione, consentientes *periret in miserabilis* praebent. Alia coniectura, Weidneri scilicet, *periret non miserabilis* est. Inter coniecturas antiquiores memoria dignas commemorari possunt Glareani *perirent* et *perires* Lachmanni. Verba in codicibus tradita mutandi nullam video causam. Offensionem dedit brevis verbi *perirēt* ultima. Negari non potest apud Horatium semper longam esse quintam hendecasyllabi alcaici syllabam. Correpta nusquam invenitur, nam formas verborum in *o* desinentes, quales sunt *quaero* (I 16, 26), *resigno* (III 29, 54), vel *vetabo* (III 2, 26), vel *memento* (II 3, 1), sine dubio longas esse voluit Horatius. Kiessling-Heinze (1917) versum Carm. I 15, 36 comparat, ubi trochaeus (*ignis*) pro spondeo in basi asclepiadea occurrit.

Sed iure quaeri potest, num *periret* hoc loco re vera brevem habeat ultimam. In ea pedis parte, quae cum ictu coniuncta est, haud raro producta invenitur syllaba quae alias brevis est (e. gr. *perrupit Acheronta Hercules labor* I 3, 36; *angulus ridet, ubi non Hymetto*, ante caesuram principalem; sicut et II 13 *caeca timet aliunde fata*). Hoc inter omnes constat. Eiusmodi autem exempla cum loco nostro non congruunt, nam ultima huius vocis *periret* sine ictu est.

Sed apud antiquiores poetas exempla congruentia inveniri possunt, velut hoc Enni:

noenum (vel *non enim*) *rumores ponebat ante salutem*
(Enn. Annal. fragm. 374).

Etiam *essēt* apud Ennium producta ultima occurrere docet F. Sommer¹⁾ (quamquam locum in editione Baehrensiana (1886), quae unica mihi hac in urbe praesto est, invenire non potui).

Utut est, nemo dubitare potest, quin in antiquissima latinitate longa fuerit vocalis *e* non solum ante *s*, ubi longam quantitatem retinuit (perirēs) sed etiam ante *m* et *t*, ubi procedente aetate brevis facta est. Fortasse colorem sermoni antiquiorem reddere voluit poeta in referenda oratione et sententia' Reguli, hominis aetatis vetustae. Certe causa traditae memoriae mutandae sufficiens non est antiquioris pronuntiationis vestigium etiamsi ab usu et consuetudine posterioris aetatis abhorret.

Trochaeum autem pro spondeo de industria et consulto positum credere vetat constantissime et contra morem Graecorum ab Horatio servata lex illa spondiaca, cui obtemperavit pari religione atque constantia etiam Prudentius, Horatium in metris utriusque communibus semper secutus. Nam si quis contra me versus hymni Perist. XIV 9 et 91 (utrumque alcaicum hendecasyllabum)

9 mortis deindē gloria liberae

91 exutus indē spiritus emicat

in subsidium vocaverit, eum commonefactum velim, scriptorem sine dubio utroque in versu spondeos ponere voluisse: apud Prudentium enim positione longa fit syllaba metrica, etiamsi utraque littera consonans initium sequentis verbi efficit.

1) F. Sommer, *Handbuch der lateinischen Laut- und Formenlehre*. Heidelberg 1902, p. 578.

III.

„Lex Meinekiana.“

Carminibus Horati universis legem quandam in re metrica constitutam existimari, qua unumquodque carmen in strophas quaternorum versuum dividi debeat, quis ignorat? Quae contra hanc „duram legem Meinekianam“ in commentatione Bonnensi graviter et copiose disputavit Antonius Elter¹⁾, verbosior fortasse quam necesse erat, sed admirabili doctrina et acumine critico insignis, et vera esse et ad legem, cuius mentionem feci, labefactandam validiora, quam quae ante de hac re dicta sunt, mihi videntur²⁾. Sed et antea de difficultate cogendi sub legem illam carmina qualia sunt III 30 et IV 8 multi viri docti et rerum Horatianarum periti disseruerunt. Quae omnia hic repetendo non est, cur operam et oleum perdam, nec libri Elteriani argumenta enarrare in animo est, quae, qui voluerit, ipse poterit inspicere.

Sed unum ad sententiam eius de lege Meinekiana aproganda confirmandam ex umbra studiorum meorum allatum velim. Prudentium enim Horati imitatore[m] fuisse vidimus, non solum in elocutione sua et sermone poëtico, sed etiam, ex parte aliqua, in re metrica. Quamquam permultis et variis metris utitur, quorum plurima pars ab Horatianis differt, legibus tamen Horatianis,

1) A. Elter, Donarem pateras (Programmata Bonnensia 26—29). Bonn 1905—1907.

2) Sed quod ad novam interpretandi carminis IV 8 rationem attinet, quamquam quae attulit et in hac re doctrinae uberioris plena sunt, vereor, ne a recta via vir subtilior aberraverit. Cum eo consentiens totum illud carmen vere Horatianum, non interpolatum censeo, sed minus veri similia, certe non necessaria videntur quae de inepta quadam ignoti adhuc monumenti cuiusdam inscriptione animo sibi finxit. (Cf. de hac re P. Corssen, Donarem pateras. Neue Jahrb. f. Phil. u. Päd. 1908, cuius fidelitatem in vulgarem de interpolatione carminis opinionem non probo, quamquam in Elteri sententia ex parte condem nenda ei assentior.)

ubicumque metra Horati adhibet, religiosis paret quam ceteri quarti et quinti saeculi poetae solent.

Metro asclepiadeo primo bis utitur: in hymno V libri Cathermerinon et in prologo libri I contra Symmachum. Ille quidem 164 versus habet, in strophas quaternorum asclepiadeorum minorum divisos, sed hic contra strophice dividi non potest. Causa dissimilitudinis sine dubio ea est, quod hymnus Cath. V ad canendum aptatus erat, carmen alterum autem, minime ad canendum idoneum, quippe quod totum in narratione versaretur. Prudentium igitur, quamvis obtemperantem legibus Horatianis, nullam legem Meinekianam cognovisse apparet. Mihi persuasum est Horatium ipsum aequae ignarum fuisse. Sed lex ipsius alia erat: carmina canenda strophice divisit, carmina non canenda lege stropharum soluta censuit.